

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

### **Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum**

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.  
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus  
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot  
Eruditorum desideriis adhuc expetitum

**Chemnitz, Martin  
Leyser, Polycarp  
Gerhard, Johann**

**Hamburgi, MDCCIII**

**VD18 90617681**

Caput CXXVIII. Continens Parabolam De Phariseo Et Publicano. Lucae 18.  
v. 9.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18203**

Auditores vicissim fidos ministros non obser-  
vant, non diligunt, nulla gratitudine prosequun-  
tur, diffamant, & qvovis damno eos afficere sibi  
laudi ducunt. Si quis porro ad patresfamilias &  
mechanicos artifices descendat: ibi certe etiam  
fidem exulare deprehendet. Quid vero in hac u-  
niversali corruptione faciendum? Id qvod Chri-

stus haec tenus docuit. Qvjsque vocationi sua fide-  
liter insit, stationem suam constanter tueatur,  
Deum assiduis precibus indesinenter fatiget, &  
sibi in Christo Jesu portum salutis paratum esse  
certo credit, sic in adventu Christi liberabitur ab  
omni malo, & ultiōnem impiorum videbit.

## CAPUT CXXVIII.

CONTINENS PARABOLAM DE PHA-  
RISÆO ET PUBLICANO.

LUCAE 18. v. 9.

9. Εἶπε δὲ καὶ ἡρός τινας τὸς πεποιθότας, ἐφ' ἑκατοῖς, ὅτι  
εἰσὶ δίκαιοι· οὐδὲ εἰς θεραπεύτας τῆς λοιπῆς τὴν ἀσαζό-  
λην ταῦτην.
10. Ἀνθρώποι δύο ἀνέβησαν εἰς τὸ ιερόν προσενέθεαν, ὁ ἕνας  
Φαρισαῖος, καὶ ὁ ἔτερος τελῶν.
11. Οὐ φριστέοντος σαθήσι, πρὸς ἑκατὸν ταῦτα προσῆκερος· ὁ  
θεος ἐνχωριῶσι, ὅτι ἐπὶ εἰμὶ ὥστε οἱ λοιποὶ τῶν ἀν-  
θρώπων, ἀρπαγεῖς, ἀδικοί, μοιχοί, η καὶ ὡς ἔτερος ὁ  
τελῶν.
12. Νησέω δίς τῷ σαββάτῳ, ἀποδικαῖω πάντα ὃς  
κτομεῖ.
13. Καὶ ὁ τελῶν μακρόθεν ἦσας, ἐκ διδελευτῆς τῆς ὁφ-  
θαλμῆς εἰς τὸν οἴκον ἐπέραν, ἀλλ' ἐτυλιγενεῖς τὸ  
ἔτερον αὐτῷ, λεγον, ὁ θεος ἵδεσκετι μοι τῷ αἰματο-  
τωλῷ.
14. Δέγω ὑμῖν, κατέβη ἔτερος δεδικασμένος εἰς τὸν οἴκον  
αὐτῷ, η γὰρ ἐκενοῦτο. ὅτι [ταῦς ὁ υψων ἑαυτὸν, τα-  
πεινωθεσται. ὁ δὲ τοιωτεῖν ἑαυτὸν, υψωθεσται.

9. Dixit autem Ἡ ad quosdam, qui in se confidebant,  
quod essent iusti, Ἡ afferabantur ceteros, parabo-  
lam istam.

10. Duo homines ascendebant in templum, ut precarentur,  
unus Phariseus, Ἡ alter publicanus.

11. Phariseus stans, hic apud se orabat, Deus gratias ago  
tibi quod non sim sicut ceteri homines, raptiores, injus-  
tici, adulteri, velut etiam hic publicanus.

12. Jejuno bis in sabbato, decimas do omnium que pos-  
sideo.

13. Et publicanus procul stans, nec oculos volebat ad cœlum  
attollere, sed percutiebat peccatum suum, dicens: Deus  
propicius esto mihi peccatori.

14. Dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam  
magis quam ille. Quia omnis qui se extollit, hu-  
miliabitur. Qui vero humiliat se, exaltatur.

## Periocha hujus parabola.

**Q**via servator noster in præcedenti parabola  
egit de prectione & duabus ejus virtuti-  
bus, fide atque perseverantia. Nam qui sine fide o-  
rat, nihil accipit. Nobis autem Christus dicit  
Marc. 11. v. 24. omnia qvæcumq; orantes pertitis,  
credite, quia accipietis, & evenient vobis. Qui  
etiam in oratione deficit, non mirum, si nihil  
consequatur; qui vero perseverat, si vel iniqvum  
judicem, nedum mitissimum Deum precando  
emolliere posset. Et quia hic alteram parabolam  
subjungit de duobus hominibus, qui ascendeant  
in templum, ut precarentur: ideo etiam hujus parabola  
argumentum esse statuunt doctrinam de pre-  
catione, & voluit Christus hic docere tertiam ora-  
tionis virtutem, nimirum humilitatem. Nam ora-  
tio humiliantis se, dicit Syl. 35, 21. nubes pene-  
trabit; & donec appropinquet, non consolabitur:  
& non discedet, donec Altissimus aspiciat. Et sane  
doctrina de prectione ex hac parabola non in-  
commode tractari posset; siquidem multa piæ ora-  
tionis requisita hic reperiuntur, ut pote 1. oratu-  
rus, non semper tantum cubiculum intret, & domi  
privativum precetur: sed etiam in templum properet,  
ibi se Ecclesia conjungat, ut una cum Ecclesia sto-  
co cœtu, quasi globo facto, cœlum adoriantur. Hæc  
vis Deo grata est. 2. In oratione sua compellat non

sanc̄tos, non Ethnicorum numina, non illas crea-  
turas: sed solum Deum. 3. Non oret apud se; talem  
enim orationem Deus nec audit, nec approbat,  
sed oret ad Deum. 4. Inter precandum non respi-  
ciat proximum, sive meliorem, sive deteriorem,  
non sinifre de eo judicet: sed sciat sibi rem esse  
cum summa maiestate Dei, qui solus sibi reservat  
judicium super omnem carnem. 5. In primis  
autem pœnitenti corde ad precandum accedat,  
peccata sua agnoscat, coram Deo deprecetur, fidu-  
ciam de remissione eorum firmam ob Christum  
propitiatorem concipiāt, nec de exauditione dubi-  
tet. 6. Inde dominum redeat, ad operas sua vocatio-  
nis, in quibus Deo & proximo inserviat. Hæc  
& alia membra, qvoad prectionem, ex hac para-  
bola desumi possunt. Atqui Evangelista in exordio  
parabola alium nobis ostendit scopum, quod  
nimirum Christus hanc parabolā dixerit ad quos-  
dam qui in se confidebant, quod iusti essent, Ἡ afferabantur  
ceteros. Et Christus in fine parabola pronunciat  
de Publicano, quod iustificatus descendit in domum  
suam, atque sic monstrat, se huic parabola inclusa  
summum articulum Christianæ religionis de  
Justificatione hominis peccatoris coram Deo:  
hoc est, quomodo miser peccator se gerere de-  
beat in hac vita, ut consequatur remissionem  
pecca-

peccatorum, ut habeat propitium Deum, & post hanc vitam non damnetur, sed salvetur. Hoc enim sonat *jusificatus* in lingua Spiritus sancti. Ergo trahatur hic illa doctrina in qua sita est omnis nostra salus, & æterna felicitas, & ad quam solide addiscendam omni animi desiderio ferri debemus. Certum enim est adulterio vel corrupto hoc articulo, impossibile esse puritatem retinere in aliis. Hoc vero articulo salvo, corrunt corruptela, ut quemadmodum 1. Sam. 5, 2. Dagon Philistinorum idolum confistere non potuit ante arcum Domini, sed disjectum est; ita etiam hoc articulo stante disjiciuntur corruptela & errores. Quia enim appropinquabat tempus passionis, atq; ipse Christus circumeundo Ecclesias valediceret, sumamq; sua doctrinæ repeteret: ibi totum cor suum effudit, & hac parabola Galilæa valedixit, mox inde ad Jordanem rediens. Sic autem tractat hunc articulum, non ut monstraret quomodo acute de eo disputare debeamus, sed quomodo in praxi sit excendus, omni enim tempore inventi sunt, qui ad instar Pharisaorum confidabant se esse justos, ob extera quædam opera, & quidem in se confidabant, atque sic summo jure cœlum à Deo obtinere volebant: cum tamen nec iusti essent, & si maxime iusti essent, non debebant confidere in se, sed in Domino Jer. 9, 24. Et ubi hæc confidentia propriæ justitiae reperitur, ibi accedit & alterum vitium: quod qui sibi sic nomine iustitia placent affernant certos, tanquam iustos & peccatores. Sicut Pharisei fecerunt Publicanis. 1. Porro, si hunc articulum recte velimus addiscere, ante omnia tenendum, quænam via sit ingredienda, si quis justificari velit. Hoc ostendit Christus, dum hunc articulum parabolice propositurus non proponit nobis Pilatum hominem gentilem, non Herodem hominem tyrannum & vulpeculam, non lurcones & latrones, aut publicanum in telonio sedentem, & homines deglubentem: sed duos homines qui ascendebant in templum. Et horum unus erat Phariseus, vir apud Judæos summa estimationis, ob sanctitatis & iustitiae studium, quod coram plebe venditabat. Alter erat Publicanus, ex illo hominum ordine, qui totus Judæis fuit exosus, eo quod libertatis patria erga Romanos proditores videbantur, ob constitutum vestigal. Sed hic relicto telonio ad templum properat. Sic ergo Christus docet, si quis coram Deo justificari velit, cuiuscunque conditionis sit homo: sive ex eorum numero, qui coram hominibus politice videntur esse justi, qualis fuit Phariseus: sive habeatur pro gravi & enormi peccatore, qualis fuit Publicanus: tum non debere eum domi in peccatis perseverare in iis pergere, sique numerum eorum angere: sed propositum habere, quod velit à peccatis desistere ac propterea debere eum ascendere non ad excelsa idolorum, sed in templum ad Deum, qui solus potest justificare impium. Quia vero itiones in templum ab hominibus omni tempore, non semper ex devotione, sed etiam alio fine instituuntur. Apud Judæos, alii emebant, alii vendebant: apud alios, alii ad idolomaniam, alii ex superstitione: fortassis etiam aliquicunq; tantum ex consuetudine, vel ut ipsi confabulationem cum amicis instituant, vel ut spectatum, aut veniant, aut eant. Ideo hic causationis in templo exprimitur, ut precaren-  
tur. Per preces autem curando, quæ intelligitur hic,

ut & alibi in scripturis, omne id, quod ad cultū Dei pertinet, & in templo peragebatur. Ibi tum, quod est probe observandum, primo in templo prælegebantur Moses per singula Sabbathā, Act. 15, 23. & dies festos, ut inde attente considerarent, qualiter haec tenus vitam suam instituissent, quæ peccata, quos lapsus commisissent, eos agnoscerent, & coram Deo deprecarentur. Postea sacrificia addebat, tum holocausta, tum sacrificia pro peccato & pro delicto, quæ omnia erant typus de Christo, qui propitiatorium sacrificium futurus esset pro peccatis: quod certis etiā lectiōnibus & Prophetis confirmabatur. Hæc omnia ostendunt, quæ via sit insistendum, si velimus coram Deo justificari. 1. Non oportet te domi harere in peccatis, nec ire in lupanar, aut in popina sedere, sed ascendere in templum, non quidem illud Hierosolymitanum, quod dudum est destructum: sed ubi cunque sincerum verbum Dei sonat, & verus sacramentorum usus, juxta Christi institutionem administratur, ibi nos reliquis Christianis adjungamus, & operam demus, ut simus membrum illius cætus. 2. in templo convenire debemus, non ut garriamus, aut nugas tractemus: multo minus, ut si quid ex Dei verbo audiamus, quod nobis minus gratum sit, illud aversemur, contemnamus & indignemur, sed ut oremus, hoc est, Deo cultum suum præstems, tum audiendo legem & Evangelium, tum orando & gratias agendo pro acceptis beneficiis. Neq; quisquam dicat, domi possum legere verbum, domi possum orare, & Deo gratias agere. Etsi enim illud verum sit: non tamen fit tanto effectu, quanto in cœtu Ecclesiastico. Hic enim Christus pollicetur se una præsentem esse, tum apud verbum prædicatum, tum apud preces fusas. Matth. 18, 19, 20. Et Paulus testatur. Rom. 20. v. 17. fidem esse ex auditu verbi Christi. 3. In templo etiam non eo fine convenientium, ut semper aliquid novi audiamus, sed ut eadem doctrina ex Mose, Prophetis, & Evangelistis nobis inculceretur. Qui autem cum Atheniensibus tantum huic curiositati vacant, ut semper aliquid novi vel dicant, vel audiant, illatio, quam in templum Domini se conferant. Hic enim tantum docetur, quomodo satanae tyrannidi valedicendum, quomodo æterna damnatio devitanda, & vicissim salus cum æterna vita consequenda. Hæc est magna, & magni momenti ars, neque adeo facilis, ut quidam eam sibi imaginantur, siquidem non ex voluntate viri vel carnis, sed ex virtute Dei eam addiscimus. Et ut maxime semel est inchoata, non tamen statim est perfecta, sed continuanda, & proinde subinde ad templum recurrentum. 4. Cavendum autem, ne ita in templum eamus, sicut Herodes: qui & ipse quotannis ascendit Hierosolymam, sed dominum rediit antiquus Herodes, impius & versipellis, hoc est, non descendit iustificatus in domum suam, sed periret. Ethoc primum est, ut sciamus, quænam sit vera scala, cui insistere debeamus, ut in ea ambulantes iustitiam consequamur, & in cœlum ascendamus. Eundem est in templum, sive quis sit doctus Phariseus, sive sit idiota Publicanus. Multi putant, templum visitare esse rem supervacaneam & nullius momenti, per quam quis multum temporis perdat. Sed si quis hunc unicum usum perpendat, non paenitebit eum, si quotidie ivisset in domum Domini.

II. Jam

II. Jam progreendiendum, & descendendum, quando vera via insistimus, quid ulterius sit faciendum, ut sequatur hæc sententia: *descendit justificatus in dominum suum*. In hoc omne situm est punctum. Ac proinde Christus veram hujus praxim depingit in duabus personis, in quarum una discamus. *i. Pharisæus*. In hujus persona adumbrat Christus, quomodo etiam illi, qui *stetebunt*, & Deus ipsos custodivit ne prolaberentur in turpia peccata: tamen indigebit justificatione coram Deo. Ideo hic unum introducit ex Pharisæis, qui tum temporis apud homines apicem justitiae consecuti videbantur, ut omnino sciamus, neminem in universo orbe ita vivere, ut non indigeat justificatione coram Deo. Ergo etiam in optima vita discendum, ut habeamus propitium Deum, alias cum Pharisæo non justificati descendimus in dominum nostram. Quid ergo fecit hic Pharisæus: adiamus ipsum. Sic vero inquit: *Deus gratias ago tibi, quod non sim sicut ceteri homines, raptore, injusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus*. q. d. Audivi jam legem Mosis in templo recitari, & maledictionem tremendam denunciari omnibus injustis, raptoribus, adulteris, & consimilibus peccatoribus. Et quidem homines hujus seculi in viis suis sunt valde inquinati, cumque ego ejusdem naturæ consors sim, & non minus ac ipsi seduci potuisse: tamen Dei beneficio ab ejusmodi lapibus sum custoditus, atque eo merito Deo meo gratias ago. Dicat hic quis: Ego nihil iniqui ex hoc Pharisæo audiui, nec video quid in eo desiderare possim, & tamen audio ipsum, *non justificatum discessisse*. Quid ipsi defuit? Resp. Licet nos nihil desideremus: Evangelista tamen in vestibulo parabolæ nobis indicavit, quid Christus in ipso desiderarit: nimurum, *quod in te confidebat, & ceteros aspernabatur*. Quia ergo propriam justitiam stabilire voluit, & justitiam Dei negligebat, etiam hac excidit. Dilucide ergo in hoc Pharisæo videre licet, quid sit justificare seipsum, & quidem ex lege. Lex duo requirit. 1. Docet, quid sit vitandum. 2. Quid sit faciendum: Utrumque Pharisæus, a se præstitum esse testatur: ac proinde concludit, se justum esse, Deumque cœlum sibi debere. Nam sibi persydat suam justitiam deduci posse per omnina decem præcepta. Juxta 1. agnoscit, & collit verum Deum Jehovah: & ab idolorum cultu abstinet. Juxta 2. orat, & Deo gratias agit. Sic etiam Paulus vult 1. Thessal. 5. v. 17. Sine intermissione orate: gratias agentes Deo in omnibus. Juxta 3: ascendit in templum, & bono exemplo promovet cultum Dei. Juxta 4. dat decimas Sacerdoti & Magistratu. Juxta 5. & 8. non fuit in iustus erga proximum. Juxta 6. non fuit adulter. Juxta 7. non fuit raptor. Et licet Deus in 9. & 10. præcepto prohibeat pravas concupiscentias, a quibus nemo hominum abstinere potest: tamen earum loco Deo suo annumerat opera supererogationis. 1. Jejuniorum. 2. Decimarum, quæ Deus acceptare debeat.

*De jejunii dicit: jejunio bis in sabbatho, hoc est, in septimana. Sic autem nominabant Judæi hebdomadem à Sabbatho, primario die quo claudebatur. Cæterum Deus in Veteri Testamento ordinavit populo suo Levit. 23. v. 27. per integrum*

annum unicum diem jejunii, quo affligere deberent animas suas, & nihil gustare deberent, usque dum vesperas stellas coeli viderent. Fuit is decimus dies mensis septimi: qui simul etiam fuit dies propitiationis. Postea Zach. 8. v. 19. legimus de jejunio quarti, de jejunio quinti, de jejunio septimi, & de jejunio decimi mensium, quæ jejunia Judæi de suo, extra Dei mandatum, addiderunt. Quidam tradunt eos jejunasse 17. Junii, quia eo die à Moysi fractæ fuerint tabulæ legis: & eodem tempore Manassis idolum in templo possum. Jejunasse etiam 9. Julii, quia tam acciderit templi destrucción. Jejunasse item 3. Septembri, quia eo tempore fuerunt præcipua Judæorum jejunia. Sed Phariseorum ordo, qui in omnibus perfectionem captavit præ aliis, singulis septimanis bis jejunavit. Jejunabant autem Pharisæi feria secunda & quinta, si fides habenda est Theophylacto. De decimis etiam dicit: *decimas de omnium que posse*. Alias certa erant frumentorum, fructuum, & animalium genera, de quibus, ut Judæi decimas darent, Deus ordinarat. Deut. 12. v. 17. nominantur decimæ frumenti, olei, vini, Levit. 27. v. 3. mentio fit decimaram de pomis arborum, de frugibus terræ, de bobus & ovibus, quæ transiunt sub baculo pastoris. Et hæ decimæ sic fuerunt distributæ, ut pars earum cederet Levitis. Numer. 18. v. 21. pars pauperibus, viduis & pupillis. Deut. 14. v. 29. pars regi 1. Sam. 8. v. 15. De reliquis vero in hortis & alibi nascentibus, non tenebantur decimas dare: quia hæ adeo fuerunt amplæ, ut sufficerent. Pharisæi autem, qui & hic præ aliis perfectionem affectabant, decimaron etiam menstram & anethum, & cymimum & alia olera. Matth. 22. v. 23. Hisce ergo supererogationis operibus apud Deum compensare voluit, si quid deesset plene observationi noni & decimi præcepti. Et hæc est illa exultatio, confidentia, & superbia, quam Deus ferre nequit, & propterea ea imperfectos humiliat. Est enim illa tinea (ut Basilius inquit) quæ pulcrum pomum erodit & perdit. Est pruina & grando quo seges salutis perditur. Est lumen illud, quod rotis adhærens, cursum currus ad salutem impedit. Sunt igitur bona opera quidem facienda, sed in iis non confidendum; quia in quovis etiam bono opere peccat justus. Et Job dicit cap. 9. v. 38. Ego verebar omnia opera mea. Habuit autem hæc precatio Pharisæi etiam alios defectus, qui non sunt oscitantes prætermittendi 1. orabat apud se: hoc est, preces suas non dirigebat ad Deum, nec cogitabat, quanta majestas esset, cum qua per preces agendum est, si quis salvus fieri cupiat, in cuius conspectu ne stellæ quidem mundæ sunt Job. 25. v. 5. & coram quo nullus est innocens, Exod. 34. vers. 7. Itaq; orabat apud se, respiciebat tantum suam vitam, & quia hæc ipsi placet, crescite etiam natus, quod cogitat: quod Deus alios homines non recipit in cœlum, non est mirum, sunt enim tales & tales, *raptore, iusti, &c.* Me vero recipiet, quia non sum talis, sed potius supererogavi. 2. Contemnit etiam præle Publicanum: non sum *velut etiam hic Publicanus*. Magna hæc fuit Pharisæi confidentia, quod vidit hunc Publicanum secum ascendere in templum orandi gratia: hic certe optima quævis de eo sibi polliceri debuisse, maxime cum externa pœnitentia & rectio-

rectionis signa præ se ferret Unde merito à conde-  
minatoria sententia abstinere, potius suis precibus  
eum apud Deum pro plena poenitentia, & pecca-  
torum indulgentia juvare debuisset. Sed sic fit,  
quando quis in consideratione corruptæ naturæ  
non pellucidum speculum Decalogi, sed tantum  
homines, qui & ipsi corrupti sunt, relipicit. Ut enim,  
qui luctulentum speculum intuetur, nunquam fac-  
iem suam recte videre potest: sic, qui homines  
corruptos tantum intuetur, nunquam suam cor-  
ruptionem agnosceret. Sed legem suam Deus pro-  
posuit nobis, ut illam inspiciamus, & juxta illam  
vitæ corruptionem agnoscamus. 3. In his omnibus  
oblitus etiam est Messia. Neque enim existimavit, se  
apud Deum ullo Mediatore indigere. Absq; hoc  
autem cum nemo habeat accessum ad Deum, quid  
mirum, ipsum non justificatum fuisse. Contraha-  
mus ergo in unam sententiam, & dicamus, quid huic Phariseo defuerit, ob quod Christus eum re-  
jectum esse testatur. 1. Defuit ei vera cognitio sui  
ipsius & sui cordis. Oblitus erat illius Prov. 21, 2.  
omnis via viri recta sibi videtur: Dominus autem  
corda appendit. Dominus secundum cor judicat.  
Corda autem hominum natura plena sunt malis,  
imo fons peccati, & omnis impuritatis. Matth. 15,  
19. Hæc nisi coram Deo mundentur, externa speci-  
es sanctitatis nihil juvat. Si ergo Phariseus propri-  
um cor cognovisset, citius sua mala confessus esset  
& Deum pro condonatione eorum orasset, quam  
jejunia & decimas suas jactasset. Agnovisset Deum  
omnia sub peccatum conclusisse, ut omnium mi-  
sereretur. Rom. 11, 32. Hoc quia non agnoverit, se  
ipsum decipit, Deo se opponit, proximum con-  
temnit. 2. Defuit ei vera Dei agnitionis. Nam imagi-  
natur sibi talem Deum, qui externa operum justi-  
tia sit contentus, nec attendat affectus & motus  
cordis. Hoc est Deum de gradu suo dejicere, cum  
omnis scriptura testetur, ipsum esse scrutatorum  
cordium & rerum. Psal. 7, 10. Jer. 17, 10. cuius tan-  
ta est sanctitas, ut etiam in angelis suis reperiat pra-  
vitatem. Job. 4. v. 18. Job tam pius fuit, quam hic  
Phariseus; & tamen fatetur cap. 9, 3. se coram Deo  
pro millibus ne ad unum quidem respondere posse.  
David quoq; deprecatur Dei iudicium Ps. 143, 3.  
quia in eo se nequaquam justificari posse scivit.  
Esa. 64, 6. etiam justitias nostras panno menstruata  
confert. Ideo etiam Daniel. cap. 9. v. 18. testatur, se  
suis preces coram facie Dei prostertere non in  
justificationibus suis, sed in miserationibus Dei  
multis. Hi Deum aliter agnoverunt, quam super-  
bus hic Phariseus. 3. Defuit huic Phariseo etiam  
tertium, utroque præcedenti deterius, nimirum  
quod nescivit, quem justitiam Lex Dei requirat,  
putavit eam externa operum larva contentam es-  
se. Inde sibi persuasit, quod legi non tantum satis-  
ficerit; sed etiam supererogarit. Quare non se Dei  
sed Deum sui debitorem constituit. Ita elatus hic  
homo inflata sua superbia Dei misericordiam pro-  
stravit, Deum è throno sua majestatis removit, &  
sibi subjecit. An non hæc est abominabilior pravi-  
tas, quam mille Publicani rapina atq; alia pecca-  
ta? Sed quam multos hic Phariseus post se reliquit  
fratres? qui & ipsi putant non tantum sanctos, sed  
etiam se plus habere meritorum quam ipsi indige-  
ant, & possunt ea etiam aliis communicare. Et sunt  
hi in eo hoc Phariseo deteriores, quod hic in ope-

Harm. Tom. I.

ribus & ceremoniis à Deo præceptis, ipsi vero in  
mendacibus bullis indulgentiarum, in nugacibus  
missis, & aliis operibus ab hominibus excogitatis,  
quibus sanctissimum Dei nomen prophanatur, ju-  
stitiam suam collocant. Ut mirum sit, in hac tanta  
luce Evangelii posse adhuc aliquibus oculos ita  
perstringi, ut non agnoscant, quid ad gloriam Dei,  
& propriam salutem faciat. Antequam progredia-  
mur, adhuc notatio quædam addenda est, & mo-  
nendi sunt auditores, ut illam pugillaribus cordis  
sui inscribant. Est autem ea hæc: Si non est glori-  
andum de bonis operibus, quanto minus quis glo-  
riari debet de malis operibus? Et si justus vix salva-  
tur: impius & peccator ubi comparebunt? 1. Pet.  
4, 18. Inveniuntur autem, proh dolor, multi pro-  
tervi hujus seculi filii, qui absq; rubore id facere  
audent. Ut si quis eos audiat, mox ei incidat illud  
Psal. 52. v. 1. Quid gloriaris in malitia tua, qui po-  
tens es in iniquitate? Quot inveniuntur, qui non  
possunt gloriaris de multis precationibus, sed quod  
multa millia blasphemiarum uno hiatu evomere  
possint? Alii non gloriantur de jejunio: sed, quod  
non tantum una septimana verum uno die bis  
ebrii fuerint. Sunt enim potentes heroes ad biben-  
dum. Es. 5, 22. Alii non gloriantur de castitate, sed  
quot virgines stuprarent: & peccatum suum quasi  
Sodoma prædicant, nec abscondunt. Es. 3, 9. Alii  
non possunt gloriaris, quod non sint injusti; sed fa-  
teri coguntur, le malum bonum, & bonum malum  
dixisse: lucem tenebras, & tenebras lucem posuisse.  
Es. 5, 20. imo quid multis opus? Si aliqui abyssum  
cordis prodere vellent, fateri cogerentur, se  
nihil dare, ne centesimam quidem partem ad con-  
servationem ministerii: se denique non esse sicut  
cateri homines, sed alii deteriores. Si ergo super-  
bus hic, & bonis operibus onus Phariseus non  
abuit justificatus in domum suam, certe nec hi suis  
blasphemis, stupris, & aliis impietatibus, cœlum  
sibi aperient. 2. *Publicanus.* Qualis fuerit olim Pu-  
blicanorum vita, & quid Christus de publicanis  
impœnitentibus senserit, id ex Evangelio notum  
est. Matth. 5, 46. dicit: Si diligitis eos, qui vos dili-  
gunt, quam mercedem habetis, nonne publicani  
& Ethnici idem faciunt? Matth. 18. v. 17. Si frater  
peccans Ecclesiam monentem non audierit: sitti-  
bi sicut Ethnicus & Publicanus. Christus itaq; in-  
nuit, incredulos Ethnicos, & impœnitentes Publi-  
canos pari passu ambulare. Fuerunt enim Syco-  
phantæ, ut Zachæus ipse fatetur. Luc. 19. v. 8. Si  
jam hic Publicanus Phariseum adiisset, ipsiusque  
consilio usus fuisset, rogans, ut se doceat, quid fa-  
ciendum sit, ut suorum peccatorum remissionem  
impetreret, & propitium Deum habere possit: su-  
fisset utique, ut deferto suo derestanto statu vene-  
randum Phariseorum ordinem ingrederetur, sic-  
que se honestis vestibus, & humilibus gestibus  
omnibus commendabilem redderet. Sicuti etiam  
sub Papatu hominibus sua serunt, ut peccatis reple-  
ti monachalem cucullum induerent, seq; in illo  
sepeliri curarent: sic enim ipsorum peccata tegi.  
Hæc nugæ sunt: Christus publicanum pœnitentem  
aliter introducit, & exemplum hoc nobis pro-  
ponit non ad disputandum, sed ad imitandum.  
Quid ergo facit? 1. Cum in templum venit, ibique  
ex lege audit, Deum rapinas, usuras, sycophantias,  
& ejusmodi injusticias sub poena æternæ maledi-  
ctionis

Xxxx

ctionis

ctionis severissime prohibuisse : ibi incipit horrere & timere iram Dei, cogitans : vñ mili, ubi ego comparebo, qvī haec tenus Dei mandata secure transilivi ? Ideo *procul flans* timidus quasi fugam capeffurus. Sicut etiam Exod. 19. v. 16. Israelitæ in castris timuerunt, cum viderent micare fulgura, & audirent tonitrus ante legis promulgationem.

Hujus legis tabulae etiam pendebat in templo, ex quibus peccata arguebantur. Maftabatur insuper victimæ, spectatoribus in exemplum, quomodo ipsi maftandi sint propter peccatum, nisi fiat remissio. Timet ergo iram Dei, *nec audet oculos in cœlum attollere*. Agnoscit ergo peccata, pudet ipsum eorum, & scit sibi deberi confusionem facie. Adeft vera contritio. Nam etiam præ dolore *percutiebat peccatum suum*, verum fontem peccatorum ostendens cor corruptum, ex quo omnes malæ cogitationes, dicta & facta proveniunt. Cogitat enim : ò maledictum cor quid fecisti, quam perdite haec tenus vixisti, in quam lernam malorum me præcipitasti, quot homines contra me coram iudicio Dei stabunt, meque graviter accusabunt ? Sistit ergo se cum conscientia sua coram iudicio, non quali coram Cæfare, quem interdum hypocrita fallere possunt, sed coram iudicio ejus, in cuius oculis omnia sunt manifesta, quem nemo decipere potest, & qui stricte atque iuste secundum legem iudicat, nec est acceptor personarum. Et hoc est unum, quod publicanus fecit : ubi ex lege sibi ob oculos statuit mortem & infernum, in quibus in aeternum sibi pereundum agnoscit, nisi cum Deo reconcilietur.

Alterum est, quod in hisce terroribus non manet, non arripit cultrum, ut Saul gladium, & se ipsum jugulat : non laqueum, ut Judas : non dicit **cum Caino**, major est iniqvitatis mea, quam ut mihi remitti possit : sed apprehendit veram consolationem. Nam recordatur, quid ex Prophetis audierit, quid Deus dicat de illis, qui ferio pœnitent, Jer. 18. v. 7. Repente loquar adversus gentem, & adversus regnum, ut eradicem, & destituam, & disperdam illud : si autem pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei, Ezech. 18. v. 23. & 33. v. 11. Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur impius à via sua, & vivat. Intuitur quoque sacrificia, quæ tum offerebantur, & iis recogitat officium Messiae, quem etiam propitiatorium in templo adunbrabat, & propter quem audierat Deum gratis peccata remissurum. Hujus satisfactione includit, & propter illum remissionem peccatorum petit: Ideo per brevem confessionem & petitionem addit: *Deus esto propitius mibi peccatori*. O mi Deus, fateor me esse grandem peccatorem, & propterea jure damnandum. Non possum, neq; cum Adamo, neq; cum Eva, culpam in alios transferre: Ego ipse peccavi: sed imploro tuam misericordiam, qua tibi reconcilietur: non possum pretendere ullam merita, non possum afferre excusatones, tantum tuam imploro placabilitatem. Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, Psal. 91, 1. *in adiutorio nostro invocans te*. Possunt haec verba desumta esse ex Ps. 25, 11. ubi David precatur: propter nomen tuum *in auxilio* propitius esto peccato meo. Et respicit ad verbum *in auxilio*, quod Deus

nobis proposuit in sanguine filii sui, Rom. 3. v. 25. Qui solus est *in auxilio* & propitatio pro totius mundi peccatis, 1. Joh. 2. v. 2.

Et hoc est alterum, quod publicanus præstít, in quo etiam ipsum imitari debemus: ut sic canimus in templum & viam salutis hoc modo ingrediamur, ut ex lege agnoscamus peccata; pectus nostrum percutiamus, & de emendatione serio cogitemus: in Evangelio autem Christum vera fide amplectamur, Deumque, ut propter ipsum nobis propitius sit, preceremur. Et hoc est illud, quando dicimus, hominem sola fide justificari.

III. Nunc audiamus etiam quænam sententia inter hosce duos sit lata. Ratio humana publicano omnem justitiam denegasset, tanquam homini, qui haec tenus prophane vixisset. Eti maxime diceret, agnoscere me peccasse, & pœnitit me: tamen ratio regereret, hoc te non liberabit. Num furi poena patibuli remittitur, si maxime serio testatur, se pœnitentia duci commissorum furorum? Viciſſim Phariseum ratio prædicatura eset, quod bene se gesserit, ut qui coram mundo dives & potens esse potuſſet, niſi ita liberalis fuſſet in decimis, & peculiari ordini ſe mancipaſſet.

Cogitat itaq; ratio, impossibile est, ut hæc Dominus non probentur. Sed Deus iudicio mundi præfecit, non rationem humanam, verum filium suum Dominum nostrum Iesum Christum, Joh. 5. v. 27. Quomodo hic iudicat: *Dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam magis quam ille*.

Hæc verba non sic sunt accipienda, quæ Pharisæus etiam fuerit iustificatus coram Deo: Publicanus autem uberiorem & nobiliorem justitiam consecutus sit. Nam coram Deo est tantum unica iustificatio. Sed quia Pharisæus iustus virus est coram se, & coram hominibus: ideo relinquit ei Christus justitiam mundanam, sed quæ coram Deo nihil valet. Ideo dicit Matth. 5. v. 20. Dico vobis, niſi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum, non intrabis in regnum cœlorum. Hanc ergo justitiam, quæ coram Deo valet, Publicanus perhèdem apprehendit, atque sic *iustificantur* est, hoc est, absolutionem a peccatis accepit. Postea latet, & cum bona conscientia, iusta regulam verbi divini, progreſſus est in sua vocatione. Nam *descendit in domum suam*, non ad telonium, ubi usuræ, rapinae, & deceptions exercebantur: hoc sciamnum relinquit aliis, qui Dei gratiam non curant. Ipse hanc semel consecutus, non amplius vult perdere. Sic videmus, quæ sit via & ratio, quæ cum Deo reconciliatur. 1. Eamus in templum, ut ibi legem & Evangelium audiamus. 2. Si lex peccata arguit, non recipiamus cæteros homines aut Publicanum, sed nos ipsos: & si maxime multa bona proximo exhibuſſemus, non tam producamus illa in rationes coram Deo, sed exceptemus, donec Christus ea prædicaturus est, Matt. 25, 35. 3. Si quis peccavit, agnoscat sua peccata, non neget, sed deploret, seq; æterna damnatione dignum fateatur. 4. Non tamen desperet sed fide apprehendat Christum in merito & sanguine suo. Et sic 5. descendat iustificatus in domum suam, ibique operas vocationis suæ latet perficiat. Jesuitæ certe huic Publicano tam cito & facile absolutionem non communicassent, sed adegissent ipsum primum ad confessionem omnium peccatorum:

torum : postea exegissent satisfactionem Missarum , cereorum , peregrinationum , donationum ad tempa & monasteria . Sed Deus hisce donationibus , & satisfactionibus ad hominum quantum institutis , non indiget . Ipse gratis gratiam suam confert pœnitentibus . Est autem hoc etiam expendendum : An hæc justificatio tantum semel sit quærenda ; aut , An sufficiat , si quis post gravem lapsum eam quærat ? Sicuti David post commissum adulterium & homicidium jacuit coram arca , & flebiliter reconciliationem cum Deo quæsivit . Nequaquam , sed est talis doctrina , quæ quotidie in praxi est exercenda . Ut enim panis quotidie , quoties absursum , resumendus est : ita etiam , quia justus in die septies cadit . Proverb . 24 . v . 26 . quotidie iteranda est illa petitio : Dimitte nobis debita nostra , atque per eam justificatio quærenda . Hoc Christus in hoc exemplo monstrat . Judæi quotidie bis conveniebant in templo : quia bis sacrificia offerebant , bis thymiana accende- bant , & tum simul precabantur . Hinc David Psal . 142 . v . 2 . Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo , elevatio manuum mearum sicut sacrificium vespertinum . Sie etiam nos diem pre- catione & inchoemus & finiamus . Et licet ubi vis orare Johan . 4 . vers . 23 . etiam domi in cubiculo , Matth . 6 . v . 6 . tamen singuli precum domi mane & vespero non debent obliuisci . Sed quia verendum est , multos sive simpliciores , sive crassiores illud negligere , prodest , ut singulis diebus Solis in Ecclesia conveniamus , ibi ex auditu verbū divini hanc doctrinam primum repetamus , postea addita peccatorum confessione , & audita absolu- tione eandem exerceamus . Et hoc stadium de- currere debet Christianus , quando in hoc mun- do vivit , donec vitam æternam apprehendat . Maxime autem in agone hac doctrina indigebi- mus . Ibi enim Diabolus propriam nostram car- nem contra nos instigabit , ut illa nos reos agat o- mnium criminum , atque simul damnationem in- tonet . Eia suggeret , bone rebus tuis præfueristi , vitam in peccatis & virtutis transegisti , jam coram iudicio Dei sententiam tuis factis dignam audies . Ibi meminerit Christianus se didicisse , ut peccata agnoscat , deploret , confiteatur , deprecetur . Sed caro regeret , nihil juvabit te hæc pœnitentia . Nam nec fur dimittitur , si maxime pœnitiat , nihilominus pendebit . Hic tu responde , alia est ratio iudicij divini , quam humani , in Dei iudicio Christus pro me satisfecit . Hic accedit diabolus , & actionem urgebit suggerens : Christus te non juvabit : tu peccasti , tu ergo etiam puniendus es . Hic tu responde : Christus iudex erit , non diabo- lus . Ille vero in parabola de publicano propo- suit veram rationem justificandi : Publicanus intueor quando novisles cupio , quomodo Deus erga me sit affectus . Tandem dicet , num putas rationem salvandi adeo facilem esse , ut qui per o- mnem vitam nequiter vixit , mox moriens in cœ- lum admittatur , si modo pœniteat & credat . Re- sponde tu , omnino via ad salutem est ita facilis , sed pro eo gratias ago , non tibi Diabolo , non mea carni , non toti mundo , sed Deo Patri , Filio & Spiritui Sancto , quem etiam propterea cele- brabo in omnem æternitatem . Bernhardus Ab- bas Clarevallensis hujus luctæ exemplum pro-

Harm. Tom. L.

ponit in seipso . Hic operam dedit , ut omnes Monachos pierate superaret , cumque se id con- secutum existimaret , confidit in illa pietate . Scri- bit ergo se citatum ad tribunal Dei , ibique accusa- tum tanquam grandem legis transgresorem . Ibi respondisse se : Feci , qua potui . Sed Satan op- posuisse : omnia fuerunt facienda . Maledictus qui non permanserit in omnibus . Deuter . 27 , 26 . Id cum tu non feceris , meritus es iram Dei . Hic Bernhardus intra se rediens , confessus est : Ali perdite vixi . Tum Satanas inferebat . Ergo DEUS habet flagella & pœnas , quibus te perfe- quatur .

Bernhardus : Ah bone Deus , percutie hic , ure , seca , tanitum parce in æternitate . Rursus Satanus : & hic & illic pœnam esse ferendam . Ibi diu hæsit Bernhardus , tandem provocavit ad Christum di- cens : Christus riteus duplice jure possidet regnum cœlorum : primo tanquam verus Deus jure æter- nae generationis , deinde tanquam verus homo jure redemptionis . Primum jus ipsi relinquio : alterum vero scio , quod & mecum , & cum omnibus creditibus sit parturus . Atque sic Bernhardus ex illo agone eluctatus est .

IV . Haec tenus principalem hujus parabola do-ctrinam de Justificatione vidimus , quæ sic quæ in angustam contracta , grata esse debet . Phari- saeus stramineam habuit justitiam , & tamen tan- topere ei fidit , ut in cœlum per eam concendere voluerit : sed decidit in infernum . Publicanus autem apprehendit firmam Dei misericordiam , & in ea scalam Jacob , CHRISTUM , per quem se- cure ascendere potuit . Sic Phariseus fuit dives in operibus , sed inanis dimissus est : Publicanus esuriebat & sitiens justitiam , ac proinde imple- tur omnibus bonis . Nunc sub fine maddit Christus *procul* : Quia omnis , qui se extollit , humiliabitur . Qui vero humiliat se extollebitur .

Huic vero sententiae , ex duorum istorum homi- num exemplo desumptæ , Christus includit hanc doctrinam , ut in Pharisæo quidem monstraret , quid proprie sit Superbia coram Deo damnata : in Publicano autem quid sit Humilitas Deo grata . Humilitas non est externa virtus , consistens in vestitu , vel gestibus : sed est interna virtus cordis , qua hominem retrahit ab omni fiducia operum , meritorum , justitiae , & aliarum rerum , de quibus quis coram hominibus glorificari possit : & facit , ut homo humili & inops se projiciat ad pedes di- vinæ majestatis , respiciens in solam misericordiam Dei , in quam omnem suam spem & fiduci- am collocavit . Hæc virtus provenit ex vera agnitione sui , sua miseria & lapsuum . Et tum homo se recte humiliat , quando agnoscit , se ex seipso nihil habere , nec posse : sed quæcumque habet , illa se habere ex gratia . Et quod hæc ipse à Deo data dona non sint perfecta , eo quod à nobis polluantur . E contra Superbia est , quando homo quidem agnoscit se à Deo dona sua habere : sed iis superbit , in iis confidit , & sperat , se propter illa DEO gratiore futurum , quam alii sint . Hoc notandum est contra Jesuitas , qui , quemadmo- dum araneæ ex rosis venenum exsugunt : ita ipsi ex hoc Evangelio , in quo fiducia bonorum operum funditus prosternitur , & gratuita fidei justifi- catio illustratur , hoc virus exugunt , quod di- cunt :

Xxxxx 2

cunt: En video Publicanum non sola fide justificatum esse, sed accessisse etiam bonum opus humilitatis, ob quod etiam a Christo propterea commendetur. Sed, bone Iesu, quid magis in contrarium sensum configi posset? Si Christus operum justitiam stabilire voluisse, rum id in Pharisæo, non in Publicano fecisset. Sed Pharisæum cum suis operibus rejicit: Publicanum autem ob fiduciam in propitiatorium recipit. Quod vero sancta humilitas adebet, id non docet, hominem operibus justificari, sed ostendit bona opera non excludi a justificandis, licet non bona opera, sed sola fiducia misericordiam Dei & justitiam apprehendat: vice versa Jesuitæ etiam hoc ingerunt: Quod homo non justificetur fide, illud in Pharisæo videmus. Hic enim habuit fidem: & tamen non est justificatus. Sed sic produnt, se nescire, quid sit proprie fides justificans. Pharisæi fides talis fuit, quale in Jacobus etiam dæmonibus attribuit c. 2, 19. dæmones credunt, & contremiscunt. Talis fides omnino non justificat. Sed quando homo in humilitate suam agnoscit indignitatem, scit autem in Christo esse perfectionem justitiae, hanc per fidem in verbo & sacramentis sibi applicat, & huic uniac soli fudit, talis fides justificat. Interim homo non dicitur spoliari bonis operibus. Alias perinde esset, ac si quis dicere vellat: sola mendici manus accipit eleemosynam: Ergo non opus est, ut habeat oculos vel pedes. *Quis absurdissimam abfurditatem non videt?*

Antaquam ab hac parabola recedamus, breviter haec quæstio annexenda videtur: Qui fiat, quod Pharisæo tantopere vitio vertatur, quod de bonis suis operibus gloriatur, cum tamen idem alii fecerint, neque ita male fuerit suscepimus. Job. 31. v. 1. prolixè gloriatur, quod sollicite sibi caverit, ne fieret adulter: quam misericors fuerit erga pauperes: quod buccellam suam non comedebit solus, sed pupillus una ederit: quod fuerit oculus cœco, & pes claudio. David psal. 26. vers. 1.

Judica me Domine, qvoniā ego in innocentia mea ingressus sum; & in Domino sperans non infirmabor Psalm. 101. enumerat, quam provide & pie aulam suam instituerit & rexerit. Ezech. 2. Reg. 20. v. 3. Obsecro Domine, memento quođ, quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est coram te fecerim. D. Apostolus Paulus 2. Corinth. 11. & 12. capp. multis gloriatur de suis infirmitatibus & plagiis, quas Evangelii Christi causa sustinuerit. Item 2. Tim. 4. v. 17. gloriatur, se bonum certamen certasse, cursum consummasse & fidem servasse. Et tamen nulli horum ista, quæ protulerunt virtutio data sunt. Resp. Hic locum habet illud, quod vulgo dicitur: Duo cum faciunt idem, tamen non est idem. Pharisæus de bonis suis operibus gloriatus est ex superbo corde coram Deo, eaque loco justitiae allegavit, sic stans & nugans apud semetipsum, alias condemnans nulla urgente necessitate. Hi vero compulsi sunt, ad enumerationem suorum sive operum, sive afflictionum ex malevolorum suorum importunitate. Sicuti amici Iobii hoc unicum urserunt, ipsum tanta calamitate premi ob peccata & scelera sua, quibus Deum offenderit. Hic ipse compulsus est innocentiam suam contra ipsos tueri. Alias contra Deum suam pietatem non allegavit, sed confessus est, se pro mille ne unum quidem respondere posse. Job. 9. v. 3. David quoque deprecatur Dei iudicium: quia non posset illud sustinere. Psalm. 130. v. 3. & 143. v. 2. Paulus quoque fatetur 1. Cor. 4. v. 4. Se quidem nihil sibi conscientium esse, sed in eo non justificatum esse. Et Rom. 3. v. 22. se una cum aliis pro peccatore silit: quia hic nulla sit distinctio. Cum ergo non ex superbia ista protulerint, non meritum quesierint, sed ut malevolorum calumniis rejectis ulterius proximo prodesse possint, apud ipsos locum habet illud Gregorii: In auribus Dei superba non sunt, quæ humili corde proferuntur.

## CAPUT CXXIX.

CONTINENS DISPUTATIONEM PHARI-  
SÆORUM CUM CHRISTO DE DIVORTIIS JU-  
DÆORUM, MATTH. 10. V. 1. MARC. 10. V. 1.

## RATIO ORDINIS.

**Q**uod finitis sermonibus, qui leguntur Matth. 18. Christus a Galilæa demigrarit, supra audivimus. Quia vero illa profectio a Christo non instituta fuit per Trans Jordanem regionem sive Peræam, sed recta per Samariam, sicuti vides Luc. 9. v. 52. ideo neque Matthæi, neq; Marci verba superioribus adjicere potuimus: sed huc usque reservanda fuerunt ubi ea describitur Christi profectio, qua post institutam & peractam vi-

sitationem, postremo solvit ex Galilæa, & per Peræam proprius accessit ad fines Judeæ, ut ifide Hierosolymis se sisteret justo tempore ad sacrificium redēctionis peragendum. Ut vero semper hactenus salutis hominum ubique studiosus fuit: sic etiam in hac profectione idem facit. Nam & rudes docet & morbos sanat, & quærentibus respondet tam Pharisæis, quam discipulis. Summa: nullas occasiones, quibus hominibus prodesse possit, neglit.

CHRI-